

R 3.175 q.

DISPUTATIO POLITICA
De
TYRANNIDE
ET TYRANNO,
Quam
Divini Numinis aſſistentiā
in
Inclytā ad Albīm Academiā
SUB PRÆSIDIO
Viri Clarissimi atq; Eximij,

Dn. M. MARTINI CASELII
Facult. Phil. Adj. Seren. Elect. Saxon. Alum.

Præceptoris ſui honorandi

Publicæ ventilationi ſubijcit

JOHANNES BERGERUS Martis-
burgo - Misnicus, Al. Elect.

In Colltg. Min. ad d. 17. Decemb.

WITTEBERGÆ,
Typis AMBOSII ROTHI Acad. Typogr.

ANNO M.D.CXXXVI.

*h. M. Martinus Caselli
manus. sc. /*





V I R O

Specatissimo, atq; integerrimo,

Dn. MARTINO FRIESEN,
Mercatori apud Lipsenses Primario.

ut &

Viris - Juvenibus

Virtute, & morum houestate Præstantis-
simis, atque Doctissimo,

Dn. JOHANNI ERNESTO

Dn. CASPARO

Dn. GODOFREDO CHRISTIANO

} *Bosen! FFrr.
Germanis.*

*Dominis, Fautoribus, Affinibus,
atq; respectivè amicis suis nun-
quam non colendis.*

Præsens Exercitium
ex debito

offert

Johannes Bergerus
Author & Relp.

*Excellens universitas Lipsiensis
anno 1711*

S U N Θ E Ω.

THEISIS I.

Um multa alia, honesta alias magnis-
que viris condigna, ob abusum hominum in
desuetudinem venerint vocabula; tum vel
maximè vox Tyranni à primævâ suâ signifi-
catione vitio hominum detorta, in aliū
planeumque contrarium rapi consuevit
sensem. Tyranni namque vocabulum Regi-
bus olim comperebat & Principibus, qui plenam in subditos
habebant potestatem testibus tum oratoribus tum Poetis hinc in-
de loco cupletissimis. Tīc γῆς τέρατον, quis huic ditioni im-
perat? quæritur apud Eurip. in supplic. Hinc est quodd apud
Athenodor. l. 14. Ἑρως dicatur elle τέρατον. Τεράτη μὲν αὐ-
τοῦ τέρατον Deorum & hominum imperator. Quibus Poeta Virg. l. 4.
hunc in modum canens succenturiatur. Æn.

To propter Lybia gentes, Nomadumq; Tyranni
Odérē infensi. Nec aliter alibi: l. 7. Æn.
Pars mibi pacis erit dextram tetigisse Tyranni,

Postea verò illi, qui per insolentiam viribus imperij, suâque
potestate abutebantur, nee jure & æquitate, sed vi ac quâdam
animilividine crudeliter subditis dominabantur, nomine hoc
insigniebantur. Benè jam exinde Horatius.

Multa renascentur, quæ jam cecidere, eadentq;
Quæ jam sunt in honore vocabula, si volet usus.

2. Primum autem ex Monarchia Tyrannis traxit ortum. Origo Tyrani.
Postquam enim successu temporis coeptum esset, homines ad natus,
principatum jure hereditario non liberâ electione promo-

A 2 veri

Virtutus. veri, degenerare etiam simul cæperunt hæredes à majoribus,
& derelictis actionibus satis esse existimârunt, si reliquos ho-
mines opib[us] delitijsque superarent, quo factum est, ut in mul-
torum odium etiam inciderent, odium timor sequebatur, qui
eò usque progressus, ut majoris malimetu vindictam quoque
pateret adversus eos, qui timebantur: occasionem dedit, ut ex
principibus fierent Tyranni.

Eymologia. 3. Ratione primæ significacionis deducunt à τύραννῳ
à turri vel arce, quia turre & arces Tyrannorum vel gu-
bernatorum propriæ: alij à Καρχειανῷ, Princeps, imperator,
Græcorum mutatione unius literæ, Tyrannum Latinis voca-
ti volunt. In alterâ, quam jam obtinet, significacione dictum
quidam volunt à Tyrijs, qui mare infestabant: vel à τυρεύ
τυρελαγ[ic]e atterere & absumere populos; quæ tamē longè perita
sunt. Sylburgius in Eym. T[er]c[ia] regiūs dictos esse censer
Δπότων τύρηνῶν ὡμοίοδοτοι, à Tyrrhenis (qui sunt populi
in Italiâ Hetrusci & Tuscani, dicti) crudelis enim hi sunt. Quor-
um respicit Virgil.

l. 7. En.

Primus init bellum Tyrrhenis aper ab orie
Contemtor Divum Mezentius.

Ulitatè & quidem rectius δπότων τύρηνῶν, vexo,
labore conficio, defatigo: ut dicitur q. τυρελαγ[ic].

**Homony-
mia.**

4. Vox hæc sumitur 1. vel propriè pro unius illegitimo
imperio, quo sensu soli opponitur Monarchia: vel impropriè
pro quovis illegitimè acquisito vel administrato imperio, ubi
etiam Aristocratiæ & Democratiæ opponitur 2. vel strictè, iis-
que qui superioris magistratus officio funguntur, adeoque re-
giones sub potestate habent, tribuitur: vel latè, quo sensu ex
communi loquendi consuetudine Tyranni dicuntur iij, qui o-
mnem humanitatem exuentes beluarum instar non tam in-
hostes, quam amicos religionisque socios mirum in modum
grassando tyrannidem exercent.

**Definitio,
Tyrannidio.** 5. Est autem Tyrannia violentum unius imperium præter mo-
res & leges, momente Lipsio: S. in quā unus homo divinis ac na-
tura legibus sublatiss., rebus alienis ut suis & liberis hominibus q.
man-

mentip̄ys ad libidinem abutitur. Bod. ieu, que nullus subjecta legibus pro libitu exercet imperium in pares & meliores & refert omnia ad suam utilitatem, non ad eorum quibus dominatur, atque imperat.

6. Hinc nos pro instituti nostri ratione tales potius Tyranni. Tyranni descriptionem, quam accuratam colligimus definitio- nem. Tyrannus est, qui prater omne jus & aequitatem sublati Divinitus & Nature legibus inimicis illos, quos vel ex divinâ ordina- tione subjectos habet, vel citra eandem subjectos sibi reddit, cum in illos, qui equalis cum ipso sorti sunt atq; conditionia, tyrannidem & crudelitatem exercet.

7. Diverso ergo respectu varias Tyrannis & Tyrannus subit divisiones. divisiones I. Tyrannis dividitur in ὁλόληγον, καὶ μὴ ὁλόλη- γον, Perfectam & minus perfectam, id est, extremam & pessimam I. Tyrannis Perfecta est in qua omnia tyrannidem constituentia cōcurrunt est vel perfe- vitia & flagitia, ut sunt per vim & dolum occupare regnum, ita vel mi- aspernari leges, odisse cives, suas aucupari utilitates, subdito- rum bona rapere, libertatem opprimere, cædibus gaudere, ab omnibus haberi odio, & si quæ hoc de genere sunt alia.

8. Minus perfecta est, in qua nonnulla occurunt, quæ probari possunt, ut si regnum legitime sic acquisitum, si quæ legum tolerantia, si civibus quoque licet secundario consu- latum.

9. io. II. Tyrannus aliis est absq; Titulo S jure; aliis Exerci-
tio S. usu ratiō: vel ut alij efferunt, Tyrannus aliis est occupationes,
aliis Administratione.

10. Tyrannus absq; titu' o. Occupatione est, qui sine
ullo legitimo titulo vel Electionis vel successionis, aut belli
justa causā, sed vi vel alijs malis artibus rem pub. sibi non com-
missam invadit.

11. Potest & hic Tyrannus in duplice esse differentiam: Alter
qui dominationem subditis invitis ac nolentibus vi & fraude
quidem arripit, moderatè tamen ac justè imperat: & hoc sen-
su vox hæc claram honesta fuit. Gentiles enim cum Philosophi-
tum amici eos, qui vi suarum civitatum summam potest.

II. Tyrannus
aliis est abs-
que titulo a-
liis exercit-
tio.

Sub diviso
Tyranni abs-
que titulo.



adepti erant , tyrannos honestè appellārunt, quā appellatione
ipſi quoq; Tyranni gloriabantur.

12. Posse verò fieri ut & vi occupatum regnum justè ; & ju-
re delatum in justè quis regat, multis exemplis sinecessitas u-
geret, posset demonstrari. Nos ne dixisse saltem, non verò de-
monstrasse videamur, Tyrannum vi vel fraude imperium ad se
trahēn tem justè administrare posse, probamus exemplo regni
Romanorum. Etsi enim nonnulli Imperatores vi & ambitu
magis, quam ullo jure imperium Romanorum adepti sunt, &
lege regiā, quam vocant, omni modam potestatem sibi arrogā-
runt, quæ tamen extant legis illius fragments , tūm in libris
tūm in Romanis inscriptionibus, satis docent, Reip. curandæ
& administrandæ, non verò evertendæ & per Tyrannidem po-
primendæ facultatem concessam illis fuisse. Quin & legibus
sese teneri professi sunt, & senatui imperium acceptum tulere-
runt, & ad senatum gravissima quæque retulerunt, eoq; inconsu-
lito quiequam, quod ad rei summam pertineret , decernere
nefas putārunt.

13. Alter verò qui vi vel fraude invitis civibus regnum non
solum invadit, sed & in justè & tyrannicè administrat ; & huic
appellatio Tyranni magis propriè competit.

14. Differre porrò Tyranni absque Titulo inter se possunt
variè. Sunt enim qui fines alienos ambitiosè in vadunt, quales
Ninus , Chananei, ut suos dilarent. Hi etsi inter suos reges di-
cantur, in illos tamen, quos ultrò nec lacerissit in vadunt, tyran-
nidem exercent. Sunt qui regnum suffragijs deferri solitum
adepti, hereditarium fraude, ambitu , corruptelâ, alijsve arti-
bus facere conantur. Sunt qui nefando parricidio patriam
ipſi invadunt, ac viperatum iostar matrem, in ipso enixu evi-
sicerant; quales qui duces belli creati à populo Remp. inva-
dunt: quales Turcici Imperatores plerumque esse solent. Nam
quis è Turcicorum Imperatorum filijs Patri successit , reli-
quos inevitabilis mortis manet necessitas. Neque enim Tur-
cæ imperij æmulos ferunt, nec permillites prætorianos omni-
nō ferre possunt. Qui si quis fortè fratum sit præter eum, qui
regnat, superstes, congiariorum petendorum nullum finem
faciunt



faciunt. Si recusantur, statim audis, *salvus frater sit, fratrem
Deus servet.* Quo verbo illum designari imperio non est ob-
scrum, adēd ut fratrum sanguine manus polluere & à parri-
cidio regnum auspicari Turcicis Imperatoribus sit necesse!
Ex multis unicum saltem ejusmodi, patrum uostrorum me-
morā, vel maximē nobilitatum tyrannide, in medium profer-
re libet exemplum. Anno 1595 *Mahometes III.* Patre defun-
cto imperij possessionem ingressurus, fratres suos omnes nu-
mero XIX ad prandium in palatio Patris invitavit, qui nihil
mali suspiciati, mortem quippe Patris adhuc ignorantēs, o-
mnem amicitiam & benevolentiam sibi pollicebantur: sed
cū ad fratrem venissent, funus eis paternum ostenditur, & ut
patris comites esse ne designarentur moniti, jussu ejus appre-
henduntur omnes & laqueo suffocantur. Pari levitā & Ty-
rannide eodem simul tempore & in uxores Amurathis Patris
sui X ad huc superstites utebatur, quas omnes in mare proji-
ciendas & undis suffocandas curabat. Sunt & fœminæ, quæ
regna legibus patrijs masculis tantum defetri solita occupant,
eorumve administrationem ad se rapiunt, ut *Atbalia Judai-
ci, Semiramis Assyrii, Agrippina Romani Imperij sub Nerone filio:
Mammea sub Alexandro Severo: Semiamira sub Heliogabalo: Bru-
neobildes aliquot Francici regni.* Quæquidem impuberes filios
ita educari curabant, ut puberes facti voluptatibus tantum in-
dulgerent, itaque omnium rerum potestas penes eas tantum
earum servos, ministros & proagagos remaneret. Sunt
denique ij, qui desidia, ignaviā & luxu magistratus ab utuntur
illum de litijs & voluptatibus inescant, à rebus publicis co-
gnoscendis & tractandis, & à gubernandâ Repub. avertunt, &
ad se regiam autoritatem & potestatem transferunt, nudum
nomen regi relinquentes.

14. *Tyrannus Exercitio S. Administratione est*, qui justo qui-
dem titulo summus magistratus factus est, negligentiā verò in-
spectorum vel consiliariorū degeneravit, & non amplius ex le-
ge & moribus gubernat, nec ea praefat, quæ in se recepit in pa-
cto utroque cum populo & Deo inito, sed contraria ex malitia
perpetrat.

16. Aque



*Sub divisio
Tyranni Ex-
ercitio.*

16. Atq; hic itidem duplarem subit considerationem. Est enim vel *Obfirmatus*, qui saepius ab Ephoris sine fructu & emendatione sui officij admonitus a Tyrannide tamen non desistit: vel *non obfirmatus*, qui saluberrimis admonitionibus relinquens locum a Tyrannide desistit.

17. Jam vero Tyranni Exercitio qui dicantur, non tam facilè ac quinam vere reges, definiere possis. Non enim Tyrannus protinus contendens est is, qui in aliquâ tantum officij & gubernationis parte lapsus est: Hominem enim eum esse cogitandum est, unde & optimi quandoque in officio languent, nec tamen ideo ut Tyranni habendi, vel tractandi sunt. Ineditunt enim saepe causæ, quæ propter locorum, aut temporum, aut personarum varietatem principes ad aliquid impellunt, quod alijs quidem Tyrannicum, alijs vero laudabile videatur: ne quis tyrannidem severitatis finibus terminandam sibi putet, cum se veritas in principe saepè laudabilis, saepius etiam necessaria sit, vel quod arces ac præsidia quadrantur, vel quia imperandi majestate sit terribilis quæ multò laudabiliora sunt, quam preces Tyrannorum. Cum ergo Princeps plebis furentis animos ac licentiam acerbissimâ severitate, quasi freno indomitam beluam coeret, non debet illa severitas Tyrannis appellari; ac saepissime is qui Tyrannidem invasurus est furere plebis ad potentiorum opes minuendas abutitur, ita sit ut potentium bona ac plebis gratiam uno consequatur & eodem Tyraunidis actu.

18. Tum demum ergo dicendus est Tyrannus, quando malitiosè & hostiliter & consuliò datâ operâ Remp. & Ecclesiam vastat, cultum Dei aboles profanat, & quæ Dei sunt, affectans sibi vendicat & usurpat. Omnia: quando totis viribus ad statum Reipubl. & leges regni fundamentales mutandas vel revertandas, quantum in ipso est, emititor. Talis jam Tyrannus ex sacris perhibetur fuisse Pharaon Rex Aegypti, & alij: ex prophanis Neroni, Caligute &c. imprimis nobilitata est tyrannis.

*III. Alius A.
prior alius
oculorum.*

19. III. Tyrannus est vel *Aperior* vel *occultior*. Ille est, qui Tyrannidem suam vi apertâ exercet, nullis vel artibus vel dolis



dolis aut machinationibus adhibitis. Talis perhibetur fuisse Tarquinius cognomine Superbus, qui vi atque scelere captum imperium sic administravit, ut cum in civium charitate nihil ei spesi esset, sola vi & potentia nixus id sibi tuendum existimat.

20. Occultior est, qui vel de sua potestate sibi non adeo conscientius, veleto facilius & felicius Tyrannidem exercendi gratiam, artibus occultis agit.

21. Atque haec Tyrannidis species praeterea illa vel maximè claret. Qui enim per gradus quod & dolo occulto ad suam pervenire tyrannidem, plures omnino sunt, quam qui summam vi atque rigore eandem aggressi sunt stabilire. Excelluit hac in re Tiberius, qui cum in Seiani familiam salvaret, legeque cautum videret, aut potius conscientia turpitudinem detegente fas esse non videret, virginem innocentem in carcere necare, vi occultam aggressus, filiam Seiani prius stuprari fecit à carnifice, & tandem necari, sic turpitudini occursum arbitratus, testibus Dione & Suetonio.

22. IV Ratione objecti: Tyrannis alia est Ecclesiastica, alia Politica, alia Ecclesiastica & Politica simul.

23. Ecclesiastica est, quando quis sibi dominium soli Deo competens in res Ecclesiasticas vel attribuit, vel tempora ex malitia spoliat, vastat, incendit, aliud idolatricum introducit cultum, aut quovis alio modo rebus sacris vim atque injuriam inficit.

24. Politica est, quando summa vis atque in iuria Reipublica rebusque ad societatem civilem spectantibus inficitur ab ijs, qui summi alicujus magistratus officio funguntur.

25. Ecclesiastica & Politica Tyrannis simul est, quâ quis non solum Ecclesiasticarum, sed & Politicarum rerum dominium arroganter & tyrannice sibi ascribit. Floret atque vigeret haec Tyrannie potissimum inter Pontificios. Ipsi enim postquam universalitatem Episcoporum quorum omnium primus fuit Johannes Constantinopolitanus, Jejunator dictus, vi & dolo usurpare coepérant, non contenti tyrannide omnium quæ unquam fuerunt,

uerunt, sævissimâ Ecclesiam opprimere, eō tandem audacē proruperunt, ut quicquid est uspiati Regnorum ac principatum, id dare adimereque sibi licere contenderent, quam viam primus *Gregorius VII Papa* ingressus Heinrico *V. Imp.* imperium abrogavit, aut saltem abrogare conatus est, misso ad *Rudolphum Sævia* ducem diadematæ cum hac inscriptione,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolphi.

Quam tyrannidem si quis negare audet, concedere sanè illum oportet, aut priores illos Episcopos Romanos, efflorescente maximè Ecclesiâ se principum, gentium ac nationum servos agnoscentes, potestate longè minore fuisse præditos, aut posteriores, se horum omnium dominos profitentes in-

V. Alia est tyrannidem longè immanissimam degenerâsse.

Togata alia 26. *V. Ratione Status Tyrannis alta est Togata, alia Bellica.* Hæc est, quando belli tempore tum Duces, tum milites spoliando, interficiendo, diripiendo, foeminas vitiando &c. a deoque beluarum instar grassando mirum in modum sævitiam & crudelitatem exercent; quod unum in hoste visuperandum, ita in amicis, ejusdemque religionis socijs omni detestatione longè dignissimum est.

Cause Tyrannidis triplices: 29. Sunt autem Tyrannidis cause vel *Constituentes*, vel *Conservantes*, vel *Destruentes*.

I. Constituentes sunt vel *Communis*, quæ est Diabolus, ut Author omnis mali: vel *particularis* quarum tres constituimus *I. Superbiæ*, quando quis ex nimia animi elatione honoribus & dignitatibus diviniti sibi concessis non contentus majores affectat, quibus adeptis pro animi libidine in omnes tyrannidem exercet.

II. Filosofia S. nimiam regnandi cupiditatem, quâ si quis præditus non potest non degenerare, & limites æquitatis justitiaeque transgredi. Hac *Julius Cæsar* inflammatus in Tyrannum, quorundam judicio, evalit. Hanc namque ipse juvenis prodidit, cum in extremâ Hispaniæ orâ ad statuam *Alexandri tam graviter*



graviter ingemisceret : Prodidit vir, cum matri in petitione.
Pontificatus diceret : Hodiè aut Pontificis Maximi filium aut ex-
ulem videbis. Idem in ore semper habuisse fertur,

Si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est : alijs rebus pietatem colas.

De quo etiam à Plutarcho accepimus , quòd cùm Alpes
jam transiisset , & præter oppidulum quoddam barbaricum
paucis & miseris habitatum hominibus iter faceret, amicis per
jocum ex ipso quærentibus , an & hīc de magistratibus essent
contentiones, ac de principatu certamina, & potentium æmu-
latones, serio responderit, Malle se hic primum, quam Roma se-
cundum esse.

114. *Vulgi Adulationem* : Hęc enim permultos non solum
ad Tyrannidem adegit , sed & quò minus ab eādem desiste-
rent, confortavit. Nullus est, qui non videat, scribit Diony-
sius Halicarn. manifestè ex plebis adulatione omnem Tyran-
num fieri : & compendiosissimam viam esse ijs, qui civitatis li-
bertatem opprimere volunt, eam, quæ per favorem pessimo-
rum civium dicit ad potentiam: quod alibi brevius sic effert:
In Vulgo Tyrannis nasci solet.

31. *Conservantes Causas dispescimus in violentias & Sophi-
sticas. Illarum quadam Duriiores & crudeliores sunt, quarum Ari-
stoteles novem recenset, nos verò ad sex restringemus. I. Emi-
nentes in segete spicas demetere, id est, Primores Reip. alicsq;
viros virtute & rebus gestis præstantes deprimere, eorumque
authoritatem & dignitatem imminuere, ne quis adversus ty-
rannidem insurgat, imò prorsus è medio tollere : illis enim
boni, quam mali suspectiores sunt : semperque his aliena
virtus formidolosa est, Salust. in Cat. p. 8. Factum hoc à Peri-
andro monito Thrasibuli decutientis summa Papaverum ca-
pita. Herod. l. 5. & à S. Tarquinio de consilio Patris apud Liv.
l. 1. Factum etiam à Cambyses 12. Persas miserè jugulari iubente.
Herod. l. 3. nec tantum è medio tollere sufficiet, sed & progre-
dilongius : interdicere ne capite damnatos propinquū luge-*

3. *Vulgi Ad-
dulatio.*

II. Conser-
vantes qua-
vel violentia
& ha-ant
Duriores.

ant gnet. in Tib. c. 61. 2. Non solum omnes congregationes
& comitiā reformidare, sed etiam publica convivia, collegia,
tribus aut sodalitates non concedere, ne cives inter se notitiam,
familiaritatem & amicitiam firmam contahant, sed alij alijs
peregrini & hospites esse videantur. Sic fecisse Diorysium Sy-
racusanum, scribit Plutarchus in Dione: Is enim non modo col-
legia & societates sustulit, sed etiam proximos una retuit e-
pulari, & à coenā domum redeentes diripi à custodibus ac
spoliari jussit, quō minus amicitias colerent, & in se conspira-
rent. 3. Scholas Publicas & rectam disciplinam, educationem
& institutionem juventutis, quod sit sapientiae Professores
pellendo & omnes bonas artes in exilium agendo, prohibe-
re, literas abolere, vel ne sapere incipient homines, vel ne ipso-
rum sceleris mandentur memoria. Sic Scholas Aristotelicas pas-
sim abolevit Camalla, & ipsius Aristotelis libros cōbūst, Phil. Mel.
inchron. 4. Nequid in civibus unde animum sumere aut con-
spirare possint permittatur cavere. 5. Suis non fidere, sed pe-
rigrinorum militum custodiā & satellitio se munire. Sic Ma-
ria Regina Scotia Scoris repudiatis custodiā sui corporis commis-
Italis, Gregor. Buchan. Sic Alexander Pheraeus ad mulierem,,
quam admodum diligebat, ingressurus, barbarum, & eum qui-
dem (ut scriptum est) compunctum notis Threicijs districto
gladio jubebat anteire, præmittebatque de stipitoribus suis,
qui perserutarentur arculas muliebres &, ne quod investimen-
tis occultaretur telum, exquirerent. 6. Subditos ut seruos
esse cogitent & humiliiter de seipisis sentiant assuefacere: id
quod sic in sordibus eos & egestate continendo, multisque
laboribus onerando quod fecit Rex Ægyptiorum Pharaon
Ex. i. f. 6. sqq.

32. Quædam sunt Mitiores & humaniores: harum oīto ha-
bet Aristoteles, ut sunt: 1. Exploratores & auricularios, qui ci-
vium eorumque factorum & dictorum sint observatores, con-
stituere. Hoc primum enim solent tyranni, ut emittantur.

Turba gravis paci placidaq; inimica quieti.

Atque ut quis distictior est accusator, apud eos velut Sacro-
sanctus

bar. hodie q plurimi

Aut mitie-
res.

lendus est, inquit Tacit. 4. annal. & in eundem sensum alibi: hoc maximè exitiabile tulere tempora Tiberij, cum primores sca- naū etiam insimas delationes exercearent, alijs propalam, mul- ti per occultum, neque discernentes alienos à conjunctis, ami- cos ab ignotis: 6. annal. 2. ut amici & cives se invicem calum- nientur, ut mutuas rixas alant, ut amici amicis, plebeij patri- eijs, divites sibi ipsis insidentur, curare, ut sic unius ope alterum delectat, & superstitem tandem opprimat, ex coque tanquam ulcere, quod perfidi chirurgi solent, lucrum perpetuum ca- piat. 3. Subditos ad paupertatem redigere, (ne ex opum af- fluentia reddantur vel insolentes & conumaces, vel habeant otium & occasionem movendarum turbarum & seditionum,) quod sit, stipendum militibus ex malitia non solvendo, pu- blica opera proprijs sumtibus perficienda injungendo, & ni- mia tributa & vestigalia exigendo. Quin imò novos puz- textus, quorum obtentu à subditis pecunia extorqueatur, excogitando. Nero incenderat urbem, prætextu istius in- cendi magnam vim pecunia à privatis & populis exegit. Dion. l.62.p.708. 4. παλαιοποιεῖν, ut Arist. loquitur, id est, bel- la mouere aduersus vicines, aut subditis merum incutere, ut non habeant otium moliendi res novas contra Tyrannum, sed potius ad eum tanquam ducem & protectorem confugi- ant. 5. Non nimium amicis fidere; Tyrannorum enim ami- ci raro sunt viri boni, ideoque magis ab illis sibi cavere debent, quam apertis hostibus: οὐ μέτωποι σώζεται διά τῶν Φίλων. Τυραννοῦ δὲ τὸ μάλιστα, αἵματι της φίλων Regnum quidem per amicos conservatur: tyrannicum vero est amicis minimè fidere. 6. Uxoribus suis & servis summam licentiam permit- tere, sic enim minus cogentur sibi ab illis metuere. 7. Gaudie- re adulatoribus & hominibus improbis, quorum illi non faci- lè volunt tyrannum offendere, siquidem omnia ad gratiam ejus retinendam loquuntur & agunt, hi vero ad quævis faci- nora perpetranda sunt parati: χείσονται γὰρ οἱ πονηροὶ το- τῷ πονερῷ. ἡλω γάρ οἱ λόγοι, ὁστεροὶ οἱ παροιμίαι: αἴδε φίλοισιν ὀπίσκεψις, οὐ γάρ διολαλέσσονται, sunt enim ad mala utiles improbi: clayus enim clavo, ut est in-

horū quinta ap
nos reditū finge



proverbio : viri boni verò amant , aut non adulantur, g.
amicos sibi asciscere homines abjectos , humiles & peregrinos , à quibus non possint sibi aliquid mali metuere : Atque
hisce technis Tyranni subditos reddere student i. μηερ ψυχες
pusillanimes : στοιχηδ αι μηερ ψυχα ο πιθελ δισιε, nam qui
parvi est animi, nemini insidiatur . 2. απιεγγυηας αιληλοις , sibi
mutuo diffidentes & suspectos . 3. αδυναμηται, viribus & poten-
tia desitulos. Sic enim propter μηερ ψυχαι non volent, neque
propter αιμιανηι αδυναμια facile audebunt aut poterunt
aliquid contra Tyrannum moliri aut suscipere : & δεις γδ επι-
χειρι αδιατοις, nemo facilè aggreditur, quod perficere non
possit.

Vel Sophisti-
ce,

33. Cause Conservantes Sophistica sunt, quæ relaxationem
& quandam Tyrannidis moderationem præ se ferre videntur,
quod tamen totius injustitiae capitalissimum est, tum, cum
maxime quis fallit, virum bonum yelle videri. Sunt autem eæ
1. subditorum commodi & utilitatis studiosum videri, quod sit
publicas pecunias à subditis extortas non luxu perdendo, sed
carum se rationem redditum dicendo. 2. gravitatem cum
humanitate coniunctam præ se ferre. 3. ne vel ipse vel ejus do-
mestici vel ministri, quem ex subditis contumeliam afficere vi-
deantur, cavere. 4. voluptatum corporis non admodum cupi-
dum videri, aut si cupiat indulgere eis, clam & occulte facere,
ne veniat in contemptum aut per insidias opprimatur : γηερ γδ
ιενηιθει, γτ ειναια Φεινη, ο νηων, αιλ ο μηερ,
ιδ ο αγεντη, αιλ οιαδ οδων. Neque enim siccus aut
sobrius facile invadi aut contemni solet, sed ebrius, neque is
qui vigilat, sed qui dormit. 5. Civitatem publicis edificijs orna-
re, veluti sunt theatra, Basilica, templa, porticus, thermæ, &
his similia alia, quæ non solum civitati splendorem, verū et-
iam civibus utilitatem aliquam & oblectationem afferre pos-
sunt. 6. pietatem & religionem simulare, quæ simulatio solet
esse αι αιελητηιας absque stultitia, id est, callida & astuta,
ne subditi possint eandem animadvertere. 7. Viris bonis pro-
priā personā splendida præmia conferre, malos verò per alios
punire.



punire. 8. non subito aliquem ex aulicis ad honores evenerit.
9. nec subito honoratis omnem autoritatem auferre. 10. in
penis infligendis paternum animum ostendere. 11. ab iijdem.
qui vitam suam non magnificiunt maximè sibi cavere. 12. cives
tām pauperes quām divites sibi facere faveentes.

34. Ob hæc & similia scelera vero tyrranicus status vici-
stitudini atque fortuæ volubilitati vel maximè est obnoxius.
nullaque ferè gubernatio tyrrannica diurna esse solet, quæ
nec ad hæredem testium quandoq; se extendit. Hinc omnis
ferè tyrranus tragicum habet exitum. Cùm enim violen-
tum ipsorum sit imperium, violenta quoque plerumque mor-
te pereunt: id quod his alioquin indicatur versiculis;

*Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.*

Restat ergo ut de causis Tyrannidæ Destructivis coronidis
locò paucula subijciamus.

35. Sunt autem illæ primæ vel generales vel speciales. Hæ sunt
I. Odium. Cum enim Tyranni metui potius, quām amari
experant, illudque semper in ore gerant.

III. Destru-
ctiva que
sunt vel spe-
ciales ut, o-
dium.

Oderint, dum metuant.

Omnium sanè in currunt odium, Necesse enim est, ut mul-
tos timeat, quem multi timent, Sen. l. 2. de ira. Et

Quem metuant, oderunt.

Quem quisq; odit, perijisse experit.

Ennius apud Cic. l. 2. off. Etenim qui se metui volent, à qui-
bus metuntur, eosdem metuant ipsi necesse est, Idem ibidem.

*Qui terret plus ipse timet, sors ista Tyrannis
Convenit, in videant clavis, fortisq; trucidant,
Muniti gladijs vivant, septig; venenis
Ancipites habeant artes, trepidiq; minentur.*

Claudian de 4. consulatu Honorij: Quid enim censemus
superiorem illum Dionysum, quo cruciatu timoris angusti soli-
tum,



rum, qui culcros metuens tonsorios candente carbone sibi adurebat capillos? Quid superiorem illum Alexandrum Pharaonum, quo animo vixisse arbitramur? nec sanè fefellerit eum opinio, à suā enim, quam impensè & diligebat & timebat, conjugi ipse propter pellicatus suspicionem interfactus est. Malus ergò custos diuturnitatis metus. Neque verò putandum, est sublati è medio Tyrannis, omnem ipsorum memoriam, sublatam esse. Post mortem namque omnium execrationibus sunt obnoxij, omnibusque fermè exosi. Memoria Principum, qui populum oppresserunt ac fatigaverunt, quantumvis opulentum atque ambitiosorum, subditis nihilominis execrabilis atque infesta est. Herod. l.2. Claret exemplo Helogabalis & Scamidis, quorum cadavera milites trahenda per contumeliam plebi tradiderunt, quæ diu per totam urbem reparata ac dilaniata postremo in cloacas abjecta sunt, ut inde scil. in Tyberim ferrentur, referente Herodiano subfin. l.6. Quid? quod in Rep. Rom. nemini licuit Tyranni imaginem habere. Ambros. t. offic. Tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius damnacioni? Odium sequitur u. Contentus. Quienam ab omnibus odio habetur, etiam contemnitur, idque ob luxuriosam & flagitiosam vitam. Atque hinc 3. Voluptas, hæc enim multos pessundedit incautos. Nulla capitalior pestis homini à natura data est, quam voluptas; insaniam auferre medius: voluptas, cum aquæ mentem eripiat homini, vix sanabile malum est. Nam voluptates in hoc amplectuntur homines, ut strangulent. Sen. t. Ep. 51.

Vel Generales.

36. Inter Generales eminet quando inter eos, penes quos est Tyrannici imperij potior administratio, existit aliqua offensio & dissensio.

II Vel Mediata vel Immediata.

37. Deinde sunt vel Mediata vel immediate. Immediate sunt, quando Deus immediatè sine medijs & operâ humana impetum Tyrannorum frangit, cosque inter necioni dat: quemadmodum Tyrannum illum crudelissimum Pharaonem mille tyrannidis modis Iraelitas exercentem sine ullius hominis manu cum omnibus copijs, ne uno quidem homine superstite, aequoris



re quoris procellâ & impressione funditus obruit, atque submersit: quem in modum & Sanberibem maximo cum exercitu una nocte per angelum absque omni operâ humanâ extinxit.

38. *Mediate* sunt, quando per certas aliquas personas tyranni coercentur, id est, *per publicas vel per privatas perso-*
nas. *Mediate*
funt per Per-
sonas.

39. *Publica Persona* sunt *Ephori*, id est, *ordinis regni Eleficij*, qui Tyranno pro virili resistere & possunt & debent. Sunt autem Ephori, (alias dicuntur *Inspectores & Curatores Reip*, item optimates) qui à populo, ut custodes, inspectores & observatores ad tuendum regnum & jura majestatis, & ad potestatem Regis vel Principis limitandam constituuntur. *Populus enim universus dignior & potior tum Magistratum Ephoris.* Illi enim & hi sunt propter populum, & ex ejus gratia sunt id quod sunt, nec absque populo esse possunt, licet hic illis orbatus subsistere possit. *Hinc recte docent Politici Dd.* *populum obtinere regnum & jura majestatis proprietate ac dominio, principem & Ephoros usu atque administratione.*

Tum Publi-
cas quo sunt
Ephori.

Dum hodie Anglor.
mense ē p

40. Sunt autem Ephori vel *generales* vel *Speciales*. *Generales* sunt, qui totius Regni defensionem adversus tyrannum susciper debent. *Speciales* verò eam regni partem tueri tenentur, cuius tutela & cura ipsis commissa est. Nec subditos & regionem S. provinciam cui præsunt, deserere debent, nisi rebus omnibus prius legitimè tentatis, ijsque deploratis & desperatis.

Ephori sunt
vel genera-
les.
Vel Specia-
les.

41. Unitamen ex Ephoris vel statibus Regni reliquis non consentientibus non licet, quod universis, nimirum, Magistrati summo imperium adimere eumque privatum declarare vel interficere, vel extra territorij sui S. regionis sibi assignata fines illi resistere veleum persequi. Quodenim ad universos sedat, hoc singuli per se & separatim sibi usurpare non possunt.

42. Ubi tamen notandum est, probè inquirendum esse in Tyrannidem Exercitio tales, an reverâ tyrannis sit, & an non alijs medijs reprimi & everti queat, quæ semel atque iterum tentanda, ne ipso morbo remedia periculosa existant.

C

Prudens



Prudens sanè chirurgus non nisi omnibus prius remedijis tentatis accedit suum ureseca : sic & hic fieri debet. Non enim quid licet modò, sed & quid expediat explorandum est.

43. Id autem fieri potest, si Ephori regni concilium indicant, & generalem omnium populorum conventum cogant, in eoque tyrcanni opera examinanda proponant & dijudicanda.

44. Si tamen periculum sit in morbo, malum verò ingravescat, & vires acquirat, statim Tyranno obviam ire licet, & resistere, ne morbus per moram curatu difficilis, aut planè impossibilis fiat.

*Resisti debet
vel verbis
vel armis.*

*Tum Priva-
tas.*

45. Resisti autem ei debet vel verbis vel armis : Verbis, quando verbis tantum Dei cultum violat & Reip. jura & facta oppugnat. Vi & armis, quando armatā manu & vi externā tyranni dem exercet : & tum licebit exercitum conscribere ex Regnicolis, confederatis amicis, & alijs.

46. Privata Persona S. subditi adversus Tyrannum Exercitio talis, quia non habent usum & jus gladij eo jure uti non possunt, sed quiescere & injuriam patientes, jugum tyranni ferre debent. At Tyranno absq; titulo Regnum invadenti privatae personæ etiam resistere possunt. Est enim his tyrannus alienus, cui populus nullo jure jurando vel jure est obligatus, unde et tanquam privato & aggressori vim inferenti rectè à quovis Reip. civi resistitur.

47. Quod si Respub. oppressa in mutationem suarum legum ritè consentiat, & ille, qui absq; titulo Tyrannus erat, titulum accepit, amplius non erit huic resistendum. Factus enim est ex eo, qui ab initio Tyrannus fuit, magistratus legitimus & inviolabilis. Ex quibus facilis illius quæstio;

An Julius Caesar jure à conjuratis potuerit occidi?

Prognoscitur decisio. Cùm enim absolute & ὅλοι λαοὶ eorum Tyrannum fuisse vix probari posset, sed mitissimum post victoriam fuisse, optimas tulisse leges, patriæque emolumennum



mentum quæsivisse, restentur, Tacitus, Suetonius, Plutarchus
&c. exinde vim factam Cæsari quibus videt. Quamvis itaque
debet, Tyrannum fuisse Occupatione, non tamen talis fuit
Administratione. Interfectores enim isti conjurati, nisi Cæsa-
rem ad tantam potentiam, tantas dignitates, tantos honores
evehi voluissent, majori curâ atque diligentia, majorum more,
Salutem Reipub. procurare debuissent. Quo sanè (ut eloquen-
tissimi illius viri Danielis Heinsij, quo in oratione de Cæsari vitâ
babet, verba mea faciam) ut per segnitiem ac negligentiam eorum
partim penes quos Respublica tum erat, partim suâ sibi pro-
priâ calliditate ac prudentiâ evectus est; ita omnibus virtuti-
bus, clementiâ imprimis, liberalitate, ac humanitate septus,
nisi cum pernicie ac detrimento publico moveri loco ac im-
perio non potuit. Anne putandum, unum Brutum, aut
sexaginta conjuratos tot tantisque malis, quo paulatim vel
contracta vel neglecta fuerant, mederi potuisse? Poetarum
iste ludus est ac oratorum, qui cum libertatem, servitutis jam
pertæsi celebrarent, causas ejus, quod Politicis in cumbit, non
intelligebant. Ex hoc sanguine, ex hac victimâ, quam liber-
tati, Caje Casi, Cimber Tulli, cæterique servitutis ho-
stes tum mactatis, ex hac ipsâ cæde ac vulneribus, Tibe-
rij, Caligula, Neronis ac Domitiani prodierunt. Non enim
cæde in Republicâ unius, sed prudentiâ multorum, ipsis ossi-
bus, visceribusque Reipublicæ recepta servitus avertitur; quo
cùm ordinis totius negligentia, non vi unius, jam amissa esset,
ne unius quidem morte reparanda fuit: &c. Quæ ulte-
rius disentienda ipsi disputationis con-
flictui relinquimus.

Soli Deo Gloria.

Ad



Ad

Doctissimum Dn. Re- spondentem :

Quod pravum semen, quæ consuetudo Tyranni,
Denique quis vita finis in orbe siet :
Hoc totum exponis breviter, BERGERE, Brabéa
Pro sudore tuo Doctus Apollo feret,

amica manu scribeb.

PRÆSES.

Arma eripat vulnus, motasq; Tyrannide lices
Incertia demens aggreditur manibus.
Quincestate Viri capitis ! Hic arte peremptum
In fundum nomen consilijsq; jacet.

Michael Behnius.

mech. auf der der Oeffnung. In einer von Mischkunst und Geschick und den Tugend
aufs Dreigewicht weisest. Wenn manchen Wind allzweck wünscht das du in
meisten die wir nicht unterscheiden werden und vorlandet wennst und somit
wirst gewiss Kapelle sind. Reichtest sie auch und demnach der g. P. der. Ich kann
nich für ein und zweckwiderstreben ob sie Notizen sind mit nichts ist in zweit und
drit. Sie ist bald. Wer alles alle und verlasse besuchet. Nur vorschriften ist
einen oder allen Schreiber die ihm Gehilfen sein von vordringen und entlasten. Du es
und du erneut am sonn. am du und sonn wieder. Sonnenwagen und Sonnenwagen zu best
und dopp. Sonnen und Tischen. Die Sonne habe ich und Sonne zum Aufzugsmeister und seit
vögl. dem. Ich die Tische schreien und ansonsten. Ich fahre von Sankt Gallen
und Völklingen. Und Völklingen. Und Völklingen. Und Völklingen. Und Völklingen.
Die Passer. Fünfzig. Februar. und April.

Und so handlung. Neumann. Lernf. Rauhmitt. Der Pfaffen
Von Physikler Personall. offener Drucker der Antike. Da
ist der obengenannte ansetzt. und Primaten ordnet
den anderen ab. Abrechnung. / fass. und Punter. wo do
und Handt. Sonn. Ein. No. 1. und die Druckerei. Der
Brennspieß. Dungen. und die St. Joh. Tischen. In auf einer
gehort. Da sind es viele wie 200. offener Druck. Instrument. und
eigent. und die obigen. Schwanzgrinse. Sind in sich. of
fum. Gest. und immer. montag. Dienstag. Don
Trik. Kast. und sondig. verleihen. Im darüber. und sonst
nicht. ohne Agnes. fürt. an. ob. ob. ob. ob. ob.



3

DISPUTATIO POLITICA
De
TYRANNIDE
ET TYRANNO,
Quam
Divini Numinis assistentiâ
in
Inclytâ ad Albim Academiâ
SUB PRÆSIDIO
Viri Clarissimi atq; Eximij,

